

prior illa nostra lectio displicet, si inducta vocula aut, ita
 distinguamus, & primum in ædibus sacris ut è columna-
 rum crassitudinibus, aut è triglypho embate, ut inter-
 pretetur Triglyphum embatem idest modulū ex quo scili-
 cet in genere Dorico partes omnes metiendæ, ut in aliis
 generibus ex columnarum crassitudine, deinde sequatur,
 in balista, foramine quod Græci πειλῆτον vocitāt.
 De eo foramine scribit lib. x. cap. xvii. HYPÆ-
 THRAQVE CONSTITVVNTVR.
 Idest subdialia siue subdualia, nam ὑπὲρ aerem si-
 gnificat. Fieri vero & hypæthria ante templorum vesti-
 bula consueuisse, vel vnus Zenodotus in paroemiis au-
 ctor esse poterit, sed de hoc alibi. ÆDES DORI-
 CÆ. Ædes sacre hoc loco triplici tantum differentiâ
 considerantur, Dorico genere, Ionico, & Corinthio.
 Nam de Tuscanicis lib. iiii. cap. vii. Doricarum est ne-
 glectior & incultior structura, vnde & seuerior. Coryn-
 thiæ quod plura habent ornamenta, deliciaiores sunt.
 Mediæ sunt Ionicæ inter harum teneritatem, & illarum
 seueritatem. SI INTERIORA PERFE-
 CTVS HABVERINT ELEGAN-
 TES. Aliqui codices habent perspectus, verbis si di-
 uersis, eodem certe spectantibus. Nam quæ absoluta
 perfectaq; sunt opera, non possunt non oculis, arridere,
 et adblandiri. ITEM SI DORICIS EPI-
 STYLIIS IN CORONIS DENTI-
 CVLI SCALPENTVR. Qui Theatrum
 architectatus est, quod Augustus sub nomine Marcelli
 nepotis ex sorore Octavia extruxit, denticulos in Dori-
 ca corona scalpsit, quod Ionicarū erat proprium, ad Do-